

salutem in domino. Litteras sanctissimi in Christo patris et domini Vrbanus divina providentia papae V<sup>ti</sup> eius vera bulla plumbea in filo canapis more Romanae curiae bullatas sanas et integras et omni vitio ac suspicione carentes nobis pro parte religiosorum virorum conventus monasterii in Lypzka ordinis sancti Augustini diocesis Mersburgensis praesentatas nos cum ea qua decuit reverentia recepisse noveritis, quarum principium erat tale: Vrbanus episcopus servus servorum dei venerabili fratri .. archiepiscopo Magdeburgensi salutem et apostolicam benedictionem. Exhibita nobis pro parte dilectorum filiorum conventus monasterii opidi de Lypzka ordinis sancti Augustini Mersburgensis diocesis petitio continebat, quod olim ad audientiam venerabilis fratris nostri episcopi Mersburgensis fama publica referente deducto, quod dilectus filius Vlricus canonicus tunc praepositus dicti monasterii etc.; et sic mediat: quare pro parte dictorum conventus nobis fuit humiliter supplicatum, ut eidem sententiae robur confirmationis adiicere de benignitate apostolica dignaremur etc.; et sic finit: Datum Romae apud sanctum Petrum XIII. Kal. Februarii pontificatus nostri anno VII<sup>mo</sup>. Nos igitur praemissis intendere non valentes aliis nostris et ecclesiae nostrae negotiis praepediti, vobis tenore praesentium plenarie committimus vices nostras donec eas ad nos duxerimus revocandas in virtute sanctae obedientiae auctoritate nobis in hac parte commissa mandantes, quatenus in ipso negotio via regia procedatis et quod iustum fuerit iuxta ipsarum litterarum apostolicarum tenorem faciatis et diffiniatis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari, et compellentes veritati testimonium a testibus perhibere et alias probationes si opus fuerit recipientes. Datum Magdeburg anno domini M<sup>o</sup> CCC<sup>mo</sup> LX nono dominica Quasimodogeniti.

Nach dem Orig. auf Papier im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden. Das auf der Rückseite aufgedrückt gewesene Siegel ist abgefallen.

No. 125. 1369. 9. Apr.

*Der Official Nicolaus von Giczin gebietet den Pfarrern und deren Stellvertretern in den bischöflichen Sprengeln Merseburg, Meissen und Naumburg, den ehemaligen Probst Ulrich von Maltitz auf Grund der eingerückten Urkunde des Erzbischofs öffentlich aufzufordern, auf nächsten Montag vor Himmelfahrt (7. Mai) zu Magdeburg vor ihm zu erscheinen.*

Nicolaus de Giczin canonicus et .. vicedominus ecclesiae ac officialis curiae Magdeburgensis iudex seu commissarius ad infrascripta a reverendissimo in Christo patre et domino domino Alberto dei gratia sanctae Magdeburgensis ecclesiae archiepiscopo principali a sede apostolica delegato subdelegatus universis et singulis ecclesiarum parrochialium rectoribus vel eorum vices gerentibus ad quos praesentes pervenerint vel qui praesentibus fueritis requisiti Mersburgensis Misnensis Neumburgensis diocesum et specialiter in Lypsczk dictae Mersburgensis diocesis salutem in domino et mandatis nostris immo verius apostolicis firmiter obedire. Litteras reverendissimi domini Alberti archiepiscopi Magdeburgensis supradicti eius vero sigillo sigillatas nos recepisse noveritis tenorem qui sequitur continentes: